

www.e-rara.ch

Conciones funebres CLXXX

Brandmüller, Johannes

Basileae, 1596

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: Frey-Gryn E VIII 3:1

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8710>

Generis nobilitate, prudentia & eruditione clarissimis viris, d. Ioan. Conrado ab Ulma, illustrissimi principis Caroli marchionis Badensis, &c. consiliario, & Roetelensis ditionis praefatio ...

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



GENERIS NOBILITATE, PRVDENTIA
& eruditione clarissimis viris, D. IOAN.
CONRADO ab VLMA, Illustrissimi
Principis Caroli Marchionis Baden-
sis, &c. Consiliario, & Rætelen-
sionis Præfecto vigi-
lantissimo:

NECNON D. CASPARO
HERVAGIO, V. I. DOCTORI
*consultissimo, eiusdem illustriss. Principis Consilia-
rio, & ditionis Rætelen-
sis archigrammateo, domi-
nis suis plurimum obseruandis, gratiam & pacem
à Deo patre per Iesum Christum Domi-
num nostrum.*



VNC esse tempora extre-
ma, nouissimumq; diem
instare, Viri Ornatissimi,
testantur & probant non
solùm tot & tam illustria
signa, quæ Christus ipse
prædixit vêtura ante suum vltimum aduen-
tum, verumetiam clarissima & indubitata
testimonia sanctorum Apostolorum, & ser-

EPISTOLA

uorum Iesu Christi Domini & Seruatoris nostri. Sic enim D. Paulus in 1. ad Corin. 10. scribit: Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis: scripta verò sunt propter admonitionem nostri, in quos τὰ τέλη τῶν αἰώνων, hoc est, extrema seculorum, seu termini ætatum, inciderunt. Item ad Phil. 4. Dominus propè est. Item ad Hebr. 1. Extremis diebus hisce loquutus est nobis Deus per filium. & 10. Adhuc perpusillum temporis, & qui venturus est, veniet & non tardabit. Et Petrus 1. Epist. cap. 4. Porro rerum omnium finis imminet. Et Ioan. cap. 2. Epist. 1. Filioli ἐσχάτη ὥρα ἐστὶ, id est, nouissimum tempus est. Idem in Apocal. 20. mille annorum meminuit, post quos diabolus sit seducturus gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, modico tempore, &c. quo indicare videtur, duo millia annorū, à tempore Christi vsq; ad finem mundi non integrè completum iri. Item Iac. cap. vlt. Ecce iudex ante ianuam assistit.

Qualia autem futura sint extrema tempora, indicarunt iidem Apostoli: & Christus Dominus ante illos satis declarauit in Euangelio, his verbis: Sicut accidit in diebus Noe, ita erit in diebus filij hominis: Edebant, bibebant, vxores ducebant, & dabantur nuptum ad eum vsq; diem, quo intrauit
Noe

DEDICATORIA.

Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Conſimiliter etiam ſicut accidit in diebus Loth, edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant. Cæterum quo die exiit Loth è Sodomis, pluit igni & ſulphure de cœlo, & omnes perdidit. Secūdum hæc erit dies, quo filius hominis reuelatur. Item, Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Hinc Apoſtolus 1. Timoth. 4. Spiritus autem certò loquitur, quòd in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, ac doctrinis dæmoniorum per ſimulationem falſiloquorum, cauterio notatam habētium conſcientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus, &c. Item 2. Tim. 3. Illud autem ſcito, quòd in extremis diebus inſtabunt tempora periculofa (imò tempora periculofa non inſtant iam, ſed extant, dicebat ante 400. annos D. Bernhard. lib. 1. de Conſider.) Erunt enim homines ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, neſcij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, vo-

E P I S T O L A

luptatum amantes potius quàm amantes Dei, habentes formam pietatis, sed qui vim eius abnegarint: adde & illusores (testantibus Petro & Iuda,) qui iuxta proprias concupiscentias ambulant, & dicunt: Vbi est pollicitatio aduentus eius? Siquidem ex quo die patres obdormierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis. Mirum (vt scribit August. Hefychio Epist. 80.) si tales homines aliquando defuerunt. Deniq; quia & tunc erant, adiungit ac dicit: Et hos deuita. Nec tamen frustra dixit, In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: & hinc ea periculosa futura demonstrans, tales homines futuros esse prædixit, nisi quia tanto plures erunt magisque abundant, quâto magis propinquatur ad finem. Videmus ergo tales nunc (id est, anno à Natiuitate Domini 420.) abundare. Sed quid si abundantiores erunt post nos, & omnino abundantissimi, quando iam iamq; ipse finis instabit, qui quâdiu aberit ignoratur?

Audiamus quoque, si placet, D. Ioann. Chrysoft. (aureum illud os) quid loquutus sit ante 1100. annos (vt legere est in lib. 1. de Compunctiōe cordis) de moribus sui seculi: & videamus an non & nos cum nostra vita ac moribus iisdem planè colorib. depingi mereamur. Lugendum, inquit est, & vere

DEDICATORIA.

verè lugendum præsentis vitæ tempus, in quo tantam malorum labem, tantaq; quotidie videmus flagitia cumulari, quæ si velis considerare per singula, nunquam poteris à lachrymis temperare. Sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta resoluta, vt ne vestigium quidem virtutis vnquam videas: nequitia verò & luxuria repleta esse cuncta perspicias, & quod est infelicius, perurgentium nos malorum iam nec ipsi sensum capimus, nec aliis præbemus, nec alios monemus, sed sumus velut corpus extrinsecus quidem indumētis adornatum: intrinsecus verò tabe pessimi languoris absumptum: & contingit nobis quod illis solet accidere, qui vel phrenesin patiuntur, vel mente capti sunt, à quibus cum multa turpia & periculosa vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pudoris tamen aliquid, nec pœnitudinis capiunt: quin imò & magnifici sibi, ac sapientiores sanis videtur & sapientibus. Ita ergo & nos, cum omnia quæ sanitati contraria sunt geramus, nec hoc ipsum quidem quod deest nobis, sanitatem nominamus. At enim si fortè in corpore parum aliquid morbi pulsauerit, statim & medicos adhibemus, & pecuniâ profundimus, & omni obseruantia quod competit, gerimus, nec prius cessatur, quàm quæ molesta

E P I S T O L A

sunt mitigentur. Anima verò cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, veratur, præcipitetur, & modis omnibus peccet, ne parua quidem pro ea nos cura sollicitat. Sed horum omnium causa illa est, quòd omnes pariter hic morbus obtinuit, & tanquam si accidat, multis sub vno morbo languentibus præsto esse neminem sanum, certum est quòd omnes pariter corrumpat, & absumat incuria, dum nemo est qui vel oportuna præbeat, & importuna prohibeat: ita & in nobis dum nemo sanus est, sed omnes languemus, alij maiore, alij minore ex parte, nemo est qui curet. omnes enim indigent cura. Etenim si quis extrinsecus vndeunque adesset, & præceptorum Christi, ac nostræ conuersationis confusionem, ac perturbationem videret, nescio si alios magis vllos quàm nos inimicos esse, & cõtrarios præceptorum Christi iudicaret: & quasi qui studium quoddam habuerimus contraria in omnibus gerere, quàm ille mandauit. Sed ne quis fortè putet exaggerationis causa à nobis hæc verba proferri, probamentiam nunc adhibebo, non aliundè quàm ex ipsis Christi mandatis. Quid enim dicit Christus? Dictum est antiquis: Non occides: ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio.

DEDICATORIA.

cio. Qui autē fratri suo dixerit *Racha*, reus erit concilio: qui autē fratri suo fatue dixerit, reus erit gehennæ ignis. Hæc quidem Christus: nos autem plus quàm increduli & infideles calcamus hanc legem, & quotidie innumeris iniuriis fratres nostros afficimus, & cætera quæ sequuntur. Idem ferè scribit Cyprianus lib. 1. epist. 4. prædictum est, inquit, deficiente iam mundo, atq; appropinquante antichristo, bona quæque deficere, mala verò ac aduersa proficere.

Hæc cum ita sint, videtur summè necessariū atq; conueniens esse hodierno die, proponere mundo, tractare, legere, & sæpe cogitare ea, quæ solent plerunq; tractari ac dici in funebribus concionibus. Non enim incommodè, neq; ineptè referri possunt ea quæ scripta sunt, & dicta de summo cuiusq; die, ad illa quæ extant de extremo totius mundi die, & vice versa. Ac si iustum est, vt quisq; se præparet ad mortem corporis sui: multò iustius est, vt se quoque paret ad nouissimum diem & consummationem seculi: quo die omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt reporter vnusquisq; ea quæ sūt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Non minus item iustum fuerit, considerare nos inuicè (vt Hebr. 10. legimus) *εις παραξυσμὸν ἀγάπης,*

E P I S T O L A

καὶ καλῶν ἔργων, ac non deserere aggregatio-
nem nostri mutuam, sicuti mos est nonnul-
lis, sed adhortari inuicem, idq; hoc magis,
quòd videmus appropinquantem diem. In
quo enim quemq; inuenerit suus nouissi-
mus dies (vt August. ad Hefychium scribit)
in hoc eum comprehendet mundi nouissi-
mus dies: quoniam qualis in die isto quis-
que moritur, talis in die illo iudicabitur.

Cæterum quænam illa potissimum sint,
quæ in orationibus funebribus vtiliter do-
cetur, omnibus discipulis Christi non ne-
gligētibus est notum, idq; ex illis ipsis ora-
tionibus, quas tum in ecclesia audiunt (tē-
pore pestis maximè, & aliàs) tum in libris
domi legunt. Eadem quoq; videre licebit
ex illis meis oratiunculis, quas quidē pri-
mum scripsi in meum vsum, & ad iuuandā
memoriam meam: deinde autem persua-
sus sum à multis ministris verbi & fratri-
bus in domino dilectis, vt illas quoq; aliis
communicarem. Hoc autem malui hæte-
nus ad aliquot annos differre & procrastina-
re, quàm statim illis annuere: propterea
quòd probè sciam, istas conciones non es-
se ita benè, doctè, scitè & artificiosè compo-
sitas, ornatas & distinctas, vt satisfacere pos-
sint acri & limato iudicio virorum litera-
torum nostro tempore, præsertim eorū, qui
plus.

DEDICATORIA.

plus habent φιλαλίαις quàm φιλοσελοίαις. At-
 tamen nihilominus tandem volui gratifi-
 cari fratribus, & iuxta eorum petitionem
 has conciunculas certè (vt quod verum est
 fatear) non eruditas atq; politas, sed rudes
 & simplices emittere: idq; tanto confiden-
 tius, quòd nihil in illis continetur & dici-
 tur, quòd non sit dictum prius ab aliis, &
 scriptum à doctissim. & probatissim. do-
 ctoribus ecclesiæ: adeò vt conciones & ex-
 plicationes illæ locorum scripturæ sacræ
 non sint tam meæ, quàm aliorum. Neque
 enim me pudet confiteri, legisse me & col-
 legisse ea quæ hîc scripsi, ex aliis me longè
 doctiorib. atq; audiuisse & didicisse à meis
 fidelibus præceptoribus. Etenim probè me-
 mor sum illius Basilij Mag. ad Greg Theol.
 dicentis: Neq; verò ad discendum verecun-
 dum esse oportet, nec ad docendum mali-
 gnum seu inuidum: quòd ab alio tute didi-
 ceris, nequaquam clam habendum: cuius-
 modi facere mulieres improbæ solent, quæ
 ex aliis ipsæ quæsitos liberos viris suis tol-
 lendos subijciunt, patrem emētientes: au-
 thorem verò ipsum prodere grata commē-
 moratione decet, verumque ipsius scientiæ
 parentem, &c. Sed si qui sint, quibus nò pla-
 cebunt explicationes nostræ, his tamē spe-
 ro non ingratum fore, quòd collegi tot lo-

E P I S T O L A

cos scripturæ, seu themata ex utroq; testamento (nimirum 200) quæ commodè & aptè in sepulturis vita defunctorum explicari debent & possunt. Credite enim mihi, sunt nonnulli concionatores, qui aliquando non minus laborant in quærèdo & inuenièdo aliquo textu conueniète rei præsentis, quàm in disponendo & exponendo eo. Cœpi autem eligere & sumere themata ex 1. lib. Mosis, & ab hoc pergens secūdem ordinem sacrorum librorum, tādē perueni ad Apocalypsin S. Ioānis, in qua præ cæteris epistolę illius ad septem ecclesias, quę fuerunt in Asia, scriptæ & missæ, videntur nostris temporibus valde vtilēs & necessaria. Utinam secundum illas ita certemus in vita præsentis, quæ militia est, vt tandem in Christo Iesu vincamus, ab ipso coronemur, & cum ipso in æternum viuamus, atq; regnemus, Amen.

Adiunxi in fine concionum Indicem, qui nunc non conciones, vt prius, indicat, sed paginas quæ cōtinent res, ac verba observatione digna: cū sint conciones breues, seu potius, vt verius dicam, concionum epitomæ: quæ tamen facilè dilatarī possunt, & occasionem præbere cuilibet copiosius easdem exponendi. Huic Indici accessit nunc etiam in hac quarta editione

DEDICATORIA.

tionem alius index brevis, ut Lector videbit.

Porrò cogitanti mihi, & quærenti, cui-
nam, pro more aliorum scriptorum, conse-
crare ac dedicare vellem hunc librum con-
cionum funebrium, occurrists vos viri or-
natiss. & prudentiss. non quòd hic liber sit
vestra prudentia & doctrina dignus: sed
quòd sub præfectura, ab illustriss. principe
& domino Carolo Marchione Badensì, &c.
vestræ fidei & prudentiæ commissa, & à vo-
bis cū laude gubernata, non pauci sint præ-
cones verbi diuini, quibus liber ille gratus
erit, ut quem iam dudum libenter & vidis-
sent & habuissent: nunc autem multò gra-
tior: reliquis fortè non ingratus, si vos ha-
buerit patronos. Adde, quòd ambo vos do-
mini mei præstantissimi, estis nostri vicini.
Vicinos autem decet esse amicos: imò Sa-
pientia ipsa se exornari dicit, & apud Do-
minum & apud homines venustam effici
his tribus rebus, fratrum concordia, *φιλία* &
πλησίωυ, id est, propinquorum amicitia, &
vixore atq; viro inter se consentientibus,
Ecclesiast. 25. Amicitiam autem nostram &
charitatem hac etiam ratione seruari & cre-
scere posse, haud existimo aliquem voca-
turum in dubium.

Ad extremum verò, rogo vestras domi-
nationes, ut amicè in bonam partem inter-

E P I S T O L A

pretari velint hoc meum institutum : quòd
ad illas meum tenue Opusculum dare au-
sus sim : illarum gratia libèter facturis plu-
ra & maiora, data occasione, siquidem po-
tuero. Valere feliciter & prosperè agite in
vestris officiis : in quibus vobis Deum ad-
iutorem & rectorem opto in nomine Do-
mini nostri IESV CHRISTI, Amen.

Data Basileæ, Calend. Nouembr.

Anno M. D. LXXI.

*Ioannes Brandmyllerus, Minister
& ciuis Basiliensis.*